



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. An, & quando desideria, & delectationes sint peccata?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

sum in causa sint libera, non possunt habere
iorem culpam, quam ipsa causa.

DUBIUM II.

An, & quando desideria, & delectationes sint peccata?

Per desiderium intelligitur voluntas, intentio
vel propositum efficax rei malæ: per delectationem
verò, simplex amor & complacentia ob
cogitati, fruendo ejus dulcedine, absq; deside
executionis: soletque dici morosa, non à mo
temporis, cum momento possit perfici, sed quia
voluntas, post plenam advertentiam rationis
immoretur.

ARTICULUS I.

*Quale peccatum sit desiderium ma
lum?*

Resp. I. Desiderium absolutum, sive cogitatio
eum voluntate consentiente absolute in peccatum
aliquando perpetrandum, aut in perpetrato con
placente, habet eandem speciem, ac malitiam
peccati mortalem, vel venialem, quem habet
actus exterior, in quem fertur. Est communis, &
constat ex *Matth. 5. v. 28. Qui viderit, &c.* Ratio
est, quia actus interior habet suam bonitatem, &
malitiam ab actu externo, tanquam objecto. *Idem
commun.*

Resp. II. Desiderium cum consensu conditionali,
quo quis aliquid concupiscit, sub tali conditione

Deus mandaret; suspenderem furem, si essem
dex; ducerem uxorem, si liceret, si non essem
cerdos, si essem liber à voto. Ratio, quia hæc
illo statu sunt licita. Rectè tamen monet *Sanctus*
atum, huiusmodi desideria esse periculosa, &
tanda, atq; ut ait *Cajet. ibidem*, esse fatuas & de-
bolicas tentationes. *ibid. Laym. l. 1. t. 3. c. 6. n. 10.*

III. Etsi idem quidam, ut *Cajet. Sal. & Val.*
universim affirmant de omnibus jure nature,
simpliciter prohibitis, si conditio impossibilis
posita tollat rationem peccati ab objecto, ut si
cas, si non esset peccatum, fornicarer, eo quod
tunc consensus non videatur ferri in malum
babilius tamen videtur, quod docet *Az. Sanctus*
Lay. esse peccatum; eo quod sit intrinsicè malum
nec malitia sua, (quæ in consensum circa tale ob-
jectum traheret, nisi Dei lex arceret) exui possit.
deoq; voluntas feratur in malum. Quod tamen
intellige, si efficaciter feratur, quia si tantum sit
gnificatio propensionis naturalis in illud ob-
jectum, non est peccatum, *San. l. 1. c. 2. n. 25. Laym.*
l. 2. c. 6. n. 11. v. Card. de Lugo, d. 16. n. 376.

IV. Gaudere & delectari de opere malo, sub eò
ditione, si liceret. v. g. in prædictis desideriis effi-
cacibus illicitis, quando conditio est possibilis,
etsi possit excusari à peccato, secundum quosdam
Doctores, si fiat tantum secundum appetitum ra-
tionalem, sive vo'untatem: (secluso omni alio pe-
riculo consensus illiciti, & turpis motus: qui ta-
men, quia communiter & connaturaliter sequitur,
vix tutum videtur in praxi) non potest tamen ex-
cusari, si sit delectatio voluntaria appetitus sensiti-
vi.

vi, quæ propriè delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua alteratione corporis. Ratio discriminis est, quia voluntas potest ferri in objectum abstractum à malitia, cum sequatur intellectum, cuius est abstrahere, appetitus verò, quia sequitur imaginationem, non fertur in objectum, sub aliqua certa conditione status, vel temporis apprehensum, sed ut est in se, ideoque talis delectatio est de objecto absolutè malo, *vid. Laym. & Bon, de mat. q. 4. p. 8.*

ARTICULUS II.

An delectatio morosa semper sit peccatum?

Resp. Si terminetur ad cogitatum opus malum secundum se, est peccatum mortale, vel veniale prout ipsum opus mortale, vel veniale est. Ita commun. ex *D. Thom. 1. 2. q. 78. n. 8.*

Dixi *secundum se*: quia si delectatio sit tantum de ipsa cogitatione, non autem de opere, non est peccatum, quia sicut cogitatio, v. g. de rebus obscœnis, in ordine ad doctriam, vel concionem, &c. bona est: cogitatio autem de iisdem rebus ex curiositate, est mala venialiter: ita consequenter, delectatio de tali cogitatione tanquam objecto, non est mala, sed quandoq; bona, quandoq; venialiter mala. Similiter nec peccatum erit, si delectatio versetur circa modum malè operandi, non circa ipsū opus malū: quo modo sine peccato sæpè nos delectat fabulæ, comœdiæ, bella, homicidia, fraudes, furta, lapsus hominis, v. g. ex equo, &c. nō

secundum se, sed modus furandi, rapiendi, artificiosus & industrius, modus cadendi inopinatus, *L. l. 1. c. 6. n. 4. Ex quibus resolves.*

I. Licitum est gaudere, & delectari morose de effectu bono, securo ex opere malo: quia tunc delectatio non est de objecto malo.

II. Si talis effectus secutus sit ex opere secundum se quidem malo, hic tamen & nunc culpa vacante, ut v.g. quia factum est in somno, amentia, ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc etiam de ipso actu licere aliquando delectari, non quidem secundum se, sed ut est causa talis boni effectus, docent *Less. l. 4. c. 3. n. 105. & 106. ex V. a. q. 1. 2. d. 105. c. 2.* v.g. de solutione naturæ facta in somno. Ratio, quia objectum delectationis istius non est malum. *v. Bon. de mat. d. 4. p. 8. n. 8. Sanchez. l. 1. m. r. cap. 2. n. 18. Card. de Lug. de pæn. d. 16. n. 389.* Imò addunt, licere aliquando desiderare (affectu simplici, & inefficaci desiderio,) ut tale quid fiat sine culpa, v.g. ut in somno eveniat naturæ solutio, ob finem bonum: dummodo desiderium non sit tam intentum, ut tale quid probabiliter causet, neq. sit periculum consentiendi in talem voluptatem. Ratio est, ajunt, quia objectum hujus desiderii, aut gaudii non est malum, *v. Less. & Bon. l. c.*

III. Non est peccatum, saltem mortale, si conjuges delectentur appetitu tantum rationali, de actu conjugii præterito, futuro vel possibili, respectu compartis præsentis, vel absentis. Item si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea delectetur; vel vidua de præterita, Ratio, quia hi actus habent objectum licitum.

V. 15. Jun. XI.

Di-

Dixi, appetitu rationali: quia si sponsus, aut vidua, voluntariè consentiat in delectationem sensitivam, & carnalem, (quæ recordatione copulæ futuræ, aut præteritæ naturaliter oritur) mortaliter peccat, ut docet *Less. l. c. t. 3. cap. 6. Bon. Tann. Pala- us. v. Dia. t. 5. misc. R. 2. contra Medi &c.* Quia verò ad supradictam voluntatis oblectationem sensitiva & carnalis, ut plurimum, imò etiam periculum consensus in fornicationem, consequitur, oblectationem illam voluntatis in praxi vix locum habere, saltem in vidua, & sponsis; inter conjuges tamen, modo periculum pollutionis absit, etiam sensitivam & veneream delectationem non esse mortale, docet *Fill. Bon. de mat. q. 4. Sanch. Less. l. c. d. 1. & Dian. t. 3. misc. R. 36.* Tum quia status matrimonii hæc excusat, uti etiam tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos: tum quia hæc tendunt per se ad opus conjugale, licet per accidens opus non exerceatur.

IV. Delectatio morosa, de rebus solo jure positivo prohibitis, non est illicita; modò non fiat sub ratione prohibitionis: v. g. si Carthusianus, vel alius, die jejunii se oblectet de cogitato esu carni-um; quia non est de operè malo; cum lex tantum veret comestionem externam. *Laym. l. 1. t. 3. c. 9. n. 9. Less. l. 4. c. 3. d. 14. n. 111. & n. 113.*

V. Qui delectationem morosam mortalem confitetur, addere debet circumstantias operis, de quo fuit delectatio: v. g. in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre, an alio; uno, an pluribus in materia carnis, an de conjugata, moniali, consanguinea. Quod tamen limitat *Az. Sa. V. Luxuria. Salas*

10m. 2. r. 13. d. 16. f. 6. n. 59. *Et* si delectatio fertur in objectum apprehensum secundum totam suam malitiam, non autem si tantum secundum partem, v. g. in foeminam apprehensam ut non solum non tamen ut alteri nuptam, vel ut moniale, tum enim probabile esse ait, delectationes tales referuntur ad speciem simplicis fornicationis. Ita etiam *Less. Bon. Dian. Palaus. v. Card. de Lugo. d. 16. n. 363* Aliud est de ipso opere externo, quod fertur in objectum, secundum totam suam malitiam; aut etiam de desiderio efficaci, quod fertur in opus externum secundum se, & ut est a parte rei, ac proinde est ejusdem cum illo speciei, idcirco ejus circumstantia semper fatendae sunt, v. *Ant. cit.*

Resp. II. Si quis sine causa, & necessitate actionem exerceat, ex qua intelligit delectationem carnis naturaliter orituram; (v. g. ex curiositate legere vel audit turpia) tamen sine directa intentione, & sine periculo consensus, peccat venialiter; si vero justam causam habeat, nihil peccat. *vid. supra in 6. p. l. 3. t. 4. c. 2. d. 4.*

Quaeres. An voluntas delectationem carnalem positivè reprimere teneatur:

Resp. Si voluntas planè eam advertens, negativè & permissivè se habeat, ita ut nec approbet, nec repellat dummodò id non permittat ex ipsius delectationis complacentia, nec periculum sit ulterioris consensus probabile est, quod docet *Cajet. Sanch. 1. mor. c. 12.* non peccare mortaliter: tum quia non consentit in delectationem: tum quia mortaliter est impossibile, omnes illos motus evitari.

tare; tum quia ex iusta causa illos ^{licet} permittere, etiam secundum adversarios.

Resp. III. In praxi tamen verius videtur, quod docet *Vasq. Az. Less. Bec. 1. 2. t. 2. c. 5. q. 5.* sine iusta causa eis non resistere, esse mortale: quia ferè semper voluntas est exposita periculo consensus; & contrarium credere, est nimia sui confidentia & præsumptio. Moderatè *Laym.* utramq; sententiam probabilem fatetur, & ait, delectationem videri mortalem, nisi saltem actum simplicis displicentiæ circa illam elicias; etsi efficaciter animum ad alia divertere negligas, cum facillè possis, & speres te tali modo posse depellere. *v. Laym. l. 1. t. 3. c. 6.*

DUBIUM III.

De Distinctione peccatorum.

ARTICULUS I.

Quæ peccata distinguantur specie?

Resp. Peccata, quoad materiale, sive entitatem positivam, specie distinguuntur ex objectis formalibus, & circumstantiis speciem variantibus, quatenus eæ objecti formalis rationem habent. Quoad formale autem, proximè distinguuntur ab oppositis formis, sive rectitudine virtutis, qua privant, remotè autem & fundamentaliter, ex objectis. Ita *Tann. d. 4. de pec. d. 1. q. 2.* Ratio primæ partis est, quia omnes actus specie distinguuntur ex objectis; peccata autem quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio secundæ partis, quia pri-

va-